

Hierin 25 Diss. varior. locor. 1786-61

- aus:
London (1)
Erfurt (1)
Halle (7)
Altona (1)
Hamm (1)
Frankfurt a.O. (1)
Göttingen (8)
Straßburg (4)
Rostock (1)

14
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CHRYSOSPLENIO

QUAM

AD SISTENTE DIVINA GRATIA

EX DECRETO

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO LICENTIA

PRIVILEGIA ET HONORES DOCTORALES

LEGITIME CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

JOHANNES DIETERICUS PALLAS

TABERNENSIS-ALSATA


D. XXVIII APRILIS MDCCCLVIII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

TYPIS JO. HENRICI HEITZII UNIVERSITATIS TYPOGR.

DISSERTATIO MEDICA INAVGURATIS
DE
CHRYSOSPENEIO
OUAM
ADMISSITAE DIVINA GRATIA
EX DECRETO
CRAVITATE TAGITATIS MEDICEA
PRO LICENCIATIA
PRIVILEGIATI HONORARIIS DECREE
RECITATIS CONSECRANDIS
SOPHENI FUDITORIUM EXAMI
SUBMITTIT
JOHANNES DETERICUS TELLER
JANUARII VENSIENSIS 1715
D. XXIII APRILIS MCCCLXII
ARGENTORATI
Tunc IO. HENRICI HILDE UNIVERSITATIS TELLER



J. Striedbeck fecit Argent.

IT REVERENDISSIMO
ATQUE SERENISSIMO
PRINCIPI
LUDOVICO
CONSTANTINO
DE ROHAN
EPISCOPO
PRINCIPI ARGENTINENSI
ALSATIÆ LANDGRAVIO
S. R. I. PRINCIPI
REGII ORDINIS ST^I SPIRITUS
COMMENDATORI

ECCLESIAE ANTISTITI
ILLUSTRISSIMO
POPULORUM GUBERNATORI
SAGACISSIMO
CIVIUM FORTUNÆ
MODERATORI
JUSTISSIMO
SUBDITORUM PATRI
OPTIMO
HAS STUDIORUM PRIMITIAS
D. D. D.
CULTOR DEVOTISSIMUS CLIENSQUE
HUMILLIMUS
JOHANNES DIETERICUS PALLAS.



§. I.

QUAMVIS de Medicamento parcius quam plura alia celebrato acturus, vix reprehensionem laboris minus necessarii evitare possum, & si possem evitare, quibusdam novandi labo infestus forsan videar; tamen me ille, qui mihi inhæret patriæ amor, commovit, ut de planta quam concivis primus denominavit, conterranei montes copiose alunt, populares præ reliquis gentibus crebrius in usum trahunt, sermonem facerem, ne aut ea quæ à majoribus acceperunt spernere, aut foli patrii foetus negligere putarentur Medici Alsatæ.

§. II.

Recentioris ævi vox est *Chrysoplenium*, quam THEODORUS nostras, patriæ potius quam proprio nomine celebris, saeculo demum sexto & decimo effinxit: placuit illi eruditorum lingua exprimere vocabulum, quo vernacula Germanica vocabatur planta, cui flavus seu aureus est habitus, & vires sunt ad curandois lienis morbos eximiae; nam nemini ignotum est, quod flavum colorem ab auro denominare soliti sint, atque quod *χρυσός* aurum denotet; nec eos qui Scriptores Medicos versantur latet, quod hi ea naturalia corpora, quæ lieni sive similia, sive propria, sive salutaria esse comperti sunt, *χρύσα* dixerint;

A

& vel

& vel sola *Scolopendrii* à DIOSCORIDE (a) denominatione evidens fit. Nomen à TABERNÆMONTANO excogitatum plures ex recentioribus Botanicis confervarunt; conservavit id ipse LINNÆUS, cuius dictatis magna semper in re herbaria est auctoritas, quia eodem nemo altius in corporum naturas penetravit. Sed ille, cum receperit id de quo loquor vocabulum, ostendit eo ipso infirmiori niti tali illam quam in *Critica Botanica*. n. 221. tradidit regulam, quod nomina generica ex duobus vocalibus integris & distinctis facta è republica Botanica sint releganda.

§. III.

Chrysosplenium ante THEODORUM annumerabatur *Saxifragis*. *Saxifraga minoris* nomine venit scriptori, qui primus de eodem mentionem facit, HIERONYMO nimurum, quem à patria BRUNSVICENSEM, ab urbe, in qua maximam vitam partem egit ARGENTINENSEM, ab eo in quo excellebat studio HERBARIUM dicunt, egregio saeculi XV. Botanico (b), qui ipse denominationis rationem tam à solo faxeo filiceo quod plantulam alit, quam ab ejus ad calculum imminuendum viribus deducit; nec difficile est perspectu, cur eam quam nunc tracto plantam *minorem* dixerit, recenset enim duas adhuc *Saxifraga* species, *alba* nimurum, quæ est *Saxifraga granulata* L. & *ruberam*, sive *Phygalidem Alkekengi* L. utrasque in majorem, quam *Chrysosplenium*, excrescentes magnitudinem.

§. IV.

Denominatio a viribus desumpta, quam omnino inconveniam esse sagax jam perspexit VALERIUS CORDUS (c), à multis

(a) *Mat. Med. L. III. Cap. 151.* (b) *Apodix. adjecta BRUNSVICENSIS HERBARIO.* (c) *Annotat. in Dioscorid. L. IV. p. 626.*

multis omnino auctorisbus Chrysosplenio fuit continua. DODONÆUS, auctor HIERONYMI ævo proximus, illud *Saxifragam auream* dixit, ob aureum, quo gaudent ejus flores, colorem. DODONÆANUM reliqui auctores retinuerunt nomen. Sed ne quis *Saxifragam luteam* GESNERI (*d*) cum ea quam auctores ab auro denominant confundat; illa enim, venerabilis omnibus qui historiam naturalem colunt, nominis stator aliquam *Thalictri* speciem denotavit. In *Historia generali plantarum* Lugduni 1687. edita (*e*), DALECHAMPIO, qui primam duntaxat ejus ideam edidit, indigna omnino, exhibentur sub falso *Saxifrage aurea* Dod. & novo *Saxifrage alpine* nomine, ejusdem plantæ duæ ico-nes, quæ novam & ad illa usque tempora nulli adhuc memoratam speciem Chrysosplenii fistunt.

§. V.

Clarus ille Noricorum pharmacopeus BESLERUS, qui sub initia superioris sæculi inclaruit, eam quæ nunc meæ considerationis est plantam ab hepate denominat, & *hepaticam* dicit. (*f*); cum auctori non placuerit suæ denominationis reddere etymologiam, cuvis libe-rum erit eandem deducere five a viribus ad hepar affe-ctum propriis, five à figura foliorum, quæ *hepatica* H. Cliff. aut variis *algarum* generibus, quas vulgo *hepaticas* solent dicere, accedit. LOBELIUS (*g*) ait ALDROVANDUM *Chrysosplenium Erysimis* adscriptissime; idem *Sedis* MORISONUS (*h*); HERMANNUS (*i*) *Alchimillis* annumerant; hæc autem viros, qui se Botanicos methodicos sunt gloriati, nequaquam decuisse patebit infra.

(*d*) *Hort. germ.* (*e*) p. 1113. (*f*) *Hort. Eystett.* (*g*) *Ob-servat. Stirp.* (*h*) *Hist. Plant. Oxon.* T. III. (*i*) *H. L. Bat.*

§. VI.

Officinæ Alsatæ Chrysosplenium sub *Nasturtii Petrai*,
Cresson de roche, *Stein-Kressen*, vocabulis à rhizotomis accipiunt & asservant; erroneæ appellationis sive originem sive causam omni licet data opera detegere non potui; num vulgus, quod res novas à rudissimis non raro similitudinibus denominare constat, nostram plantam, cum in humidis crescat, habitum succulentum habeat, & in acetaria à quibusdam recipiatur, quæ omnia quoque *Sisymbrio Nasturtio aquatico L.* competit, ab hoc appellavit? appellatione falsa omnino, imo periculosa, cum plures plantæ ad tetrodynamias L. pertinentes, in montibus crescentes, & a Chrysosplenio diversissimæ, *nasturtii petrai* nomine pluribus auctoribus veniant; eadem quoque appellatio a Tournefortio, quem adhuc sequi solent multi Medici & pharmacopolæ, qui levius Botanicen colunt, detur *Iberidi nudicauli L.* Alsaticorum quoque montium incolæ.

Galli nostram plantam *Rompt pierre dorée*, *Saxifrage dorée*, Germani *Gulden Steinbrech*, gelb, sive *Gulden Leberkraut*, *Milzkrat*, *Nauchmounbrant* dicunt. &c.

§. VII.

Ut omnis circæ id, quod examinandum suscepit vegetabile, tollatur ambiguitas, hanc ejus statuο, statuente ita natura, characterem:

CALYX, sive externum floris involucrum, nullum.

COROLLA tegmen partes genitales immediate cingens, unico constitutur petalo, quod in quatuor, interdum in quinque, lacinias parvas, alterne irregulares, liqueat cum RIVINO loqui, reflexas fecatur.

STAMINA petalo breviora bis tot ac Corolla lacinias habet, surgunt ex receptaculo floris, quod in modum placentæ tumet, singulis *Anthera simplex* insidet.

GER-

GERMEN subrotundum in receptaculo hærens.
STYLI duo divergentes, *Antheris æquales*, duobus
STIGMATIBUS obtutis instruti.

FRUCTUS est capsula birostris, bivalvis, unilocula-
ris; eadem matura valvas revolvit & cingitur pericarpio,
quod erat Corolla & continet

SEMINA copiosissima, exigua.
TOURNEFORTIUS (k) minus bene stamina, reliqua au-
tem egregie delineavit. MAGNOL (l) & in eo peccavit,
quod colorem floris in characterem receperit, & quod
evidentissime luteos *Chrysosplenii* flores virides dixerit.
Primus celebris ille Hamburgenium Dialecticus *Jungius*
genuinum *Chrysosplenii* tradidit characterem, & jam in-
cipiente saeculo XVII. sagax perspexit, ad constituenda
plantarum genera ad numerum staminum æque ac
stylorum attendendum esse.

§. VIII.

Ille quem tradidi *Chrysosplenii* character evini-
cit, idem omnino proprium & ab omnibus reliquis di-
stinctum constitutere plantarum genus; male igitur à
multis auctoribus variis vegetabilium ordinibus adscribi-
tur; licet enim nullus negem illud diversis accedere,
tamen nulli in totum simile esse §. antec. evincit. A *Saxifragis* differt Corollâ monopetalâ, rarissime quinque-
fida, & huic divisioni respondente staminum numero;
à *Sedis* distat eis; quibus hæc à *Saxifragis* separantur,
& stylis duobus & fructu simplici; cum *Erythronio* ac *Na-
sturtio* plane nihil communis habet; nec nisi defectu cal-
licis cum *Alchymilla* convenit: hoc interim notandum ad-
huc esse duco, quod mea planta respectu fructificationis
proxime ad *Galeniam* L. & *Scleranthum* L. accedat, ean-
dem

dem in methodo naturali succulentis vegetabilibus accenset LINNÆUS (*m*).

§. IX.

Nec quid difficultatis habebit determinare, ad quem titulum eorum systematum, quæ hactenus facilitandæ planarum cognitionis ergo excoigitata sunt, Chrysosplenium debeat referri: pertinet id nimurum ad CÆSALPINI (*n*) *Suffrutices & herbas, quibus plurima semina sunt, sed quæ unicum ac simplex habent sub uno flore seminum conceptaculum, ex fasciæ materia conflatum, & seminis sedes multam cavitatis partem replet.* MORISONUM, cuius quædam classes quidem methodum sapiunt, non paucæ autem potius tituli capitum, quam partes veri systematis sunt, non moror. Vegetabile meum RAJI *herbis flore flamineo fructu contiguo, seminibus nudis va-*
sculo inclusis adscribendum esse duco; denegavit enim reverendus Anglorum Botanicus involucro, quod partes genitales circumdat, petali nomen, cum illud in pericarpium abeat. HERMANNI si methodo uti volueris, quam morte præventus auctor nullibi absolutam tradidit, & quam ipsam LINNÆUS ex variis tractatibus a Clarissimi viri discipulis conscriptis collegit (*o*), Chrysosplenium inter *herbas apetalas perianthio instructas polyspermas esse collo-*
candum videtur; ex eo enim, quod inter apetalas reperiām plures plantas, quarum corolla est omnino colorata, con-
cludo, HERMANNUM eandem ac RAJUS petalo affingere ideam. Id quod traxto plantarum genus in RIVINIANA methodo sub illa comprehenditur classe, quæ recenset vegetabilia floribus simplicibus irregularibus, *in pericarpium membranaceum unicapsulare abeuntibus, instructa,* evidens enim est,

aristo-

(*m*) *Pbil. Botanic. pag. 32. n. 46.*

(*n*) *de plantis L. VI.*

(*o*) *Class. plant. pag. 125. sqq;*

aristolochiae, ari, asari &c. exemplo id, quod RIVINO involucrum partium genitalium est, si id fuerit coloratum, petali nomine venire. Idem TOURNEFORTIUS herbis flore monopetalō, rotato, cuius pistillum abit in fructum siccum adscriptum, æque bene illis qui campaniformem florem habent annumerandum. In Classibus KNAUTIANIS (*p*) inter plantas quibus sunt flores monopetali, simplices, difformes, capsulae seminales simplices, membranaceæ, post flores singulos singulae, polysperma locum tenet; male ab ipso authore plantis flore monopetalō, simplici uniformi adscriptum. MAGNOLIUM (*q*) qui sequuntur, illud ad herbas solo calice interno, flore monopetalō irregulari, secus ac ipsi auctori videtur, & fructu siccō præditas, reducere tenentur. BOERHAAVIUS, qui vix ab HERMANNO audet recedere, idem inter plantas apetalas, quarum flos fructui contiguus est, enangiospermas collocat. Ipsum in methodo RIVINO-RAJANA, quam primus RUPPIUS (*r*), deinde SIEGESBECK (*s*) & LUDWIG (*t*) proposuerunt, à latere plantarum florem perfectum simplicem, regularem, monopetalum, semina pericarpio membranaceo fissiori unicapsulari inclusa gerentium ponitur, & pessime à RUPPIO tetrapetalis regularibus adscribitur. HEISTERO (*v*) sub polycotyledonibus apetalis, strobis & fructibus conjunctis angiospermis, fructu siccō donatis, venit. A LINNÆO decandriis dignissimis annumeratur, cum autem observante ipso illustri auctore creberrime octo tantum stamina flores gerant, hinc illud potius octandrii dignissimis apponendum censeo. VAN ROYENII plantarum polycotyledonum calice proprio, fructu non triloculari, staminibus manifestis, calice vel corolla absente, has incompletas author dicit, flore trifido instructarum comes est. Celebrissimo LUDWIGIO (*x*) sub apetalis octantibus

(*p*) Meth. Plant. pag. 48. (*q*) Nov. charact. plant. 190. (*r*) Flor. Jeunij. 1718, edita. (*s*) Botanosoph. (*t*) in prima definit. plant. Edition. (*v*) System. Plant. (*x*) in nova definit. plant. Editione.

octantheris *diffloris* *venit*. Illustrem HALLERUM qui sequuntur, idem sive sub vegetabilibus dicotyledonibus quae petalis desinuntur, semine, flore & veris flaminibus donantur, non juliferis, diplostemonibus, sive, si eam quam dedi (§. 7.) corollæ affumpseris ideam, inter plantas dicotyledones petaloides, diplostemones reperiet. A VAN WACHENDORFF (y) adducitur ad plantas polycotyledones, quibus sunt flores manifesti, completi, perianthium unicum, flamina octo, & qui in capsulam abeunt; sive si aspera nomina placent Phaneranthas, Teleianthas, Monoperianthas, Octostemones, Angiospermas. Idem denique inter GLEDITSCHII (z) plantas, quarum flamina receptaculo adhaerent, & se invicem distincta, in floribus apetalia hypocarpis militat.

§. X.

Duae haec tenus innotuerint Chrysosplenii species, quas optime ratione situs foliorum distingui primus perspexit JUNGII (aa), & post eum PETITUS (bb).

CHRYSOSPLENIUM FOLIIS CONJUGATIS.

Saxifraga aurea Dod. pempt. 316. cum bona iconе, SCHWENCKFELD Stirp. Siles. p. 191.

Saxifraga aurea Lichenis facie & natalitiis, Erysimi species Aldrovandi LOBEL. Observat. p. m. 336. cum iconе DODONÆANA, Adversar. 267. PONE descript. montis Baldi 102. RAJ. Histor. plantar. p. 207. Stirp. angl. 158.

Saxifraga Romanorum Lobelii Lugdunens. IIII4. cum figura & Dodonæo desumpta. Chrysosplenium TABERNÆMONT. Kräuter-Buch 1224. VOLKAMMER flor. Norimberg. 107. BOECLER. Cynosur. Mater. Medic. continuat. WEINMANN Phytanth. 308. icon pestilenta. Sedum palustre luteum foliis subrotundis sessilibus, MORISON Hisp. Plant. Oxoniens. T. III.

(y) Hort. Ultraject. (z) Histoire de l'Academie de Berlin 1749. p. 109. (aa) Doxoscop. Cap. XVII, n. 15. (bb) Lettres d'un Medecin des Hopitaux p. 40.

III. pag. 477. Sect. XII. Tab. VIII. Fig. 7. cum iconē minus bona.

Saxifraga rotundifolia aurea PLUCKNET. *Almageſt. Botanic.* p. 333.

Chrysosplenium foliis amplioribus auriculatis J. R. H. nequam synonyma. BOERHAAVE Ind. Alter. Horti Lugd. II. 95.

BURBAUM Plant. Hallenſ. 72. SEGUIER Plant. Veron. I. 241.

MAPPY Histor. Plant. Alsatic. 73. von Linderen Hort. Alsat. 6.

Chrysosplenium foliis minoribus subrotundis. TOURNEF.

Saxifraga frive hepatica aurea. Suite de la matiere medicale de M. Geoffroi II. 388.

Chrysosplenium foliis oppositis DE SAUVAGES Flor. Monspel. 120. LINN. Spec. Plant. 398. HILL History of Plants 404. Crescit in Anglia, Italia, Brabantia, Flandria, Saxonia superiori, Silezia, Franconia, agro Monspeliensi & Alsatia. Reperitur ad scaturigines, quæ ad montium rupes decurrent, inter lichenes, muscos &c. Primo vere florere solet.

MAPPY & von Linderen hanc speciem in montibus oppido Barr vicinis repererunt, ipse illam copioſiſſime inveni ad juga quæ Tabernas cingunt, inde primis, postquam ejus uſus inter nos invaluit, temporibus Phalſenburgum latum, & inde in omnem Alsatiā diſtributum est.

Ex fasciculo Radicum tenerrimarum capillarium, nullibi in capitulum collectarum, surgunt Caules teretes, succulentī, inferne & ante florescentiam simplices, levissime hirsuti, craſhissimi, vix dimidiā lineam equantes, eorum longissimi raro ad quatuor pollicum altitudinem ascendunt, iudicem, dum flores edunt, in duos ramos erectos dividuntur, qui singuli denuo dichotomiam patiuntur: angulo divisionis & apici ramorum insident Flores singulares, quorum quilibet ſuſtentatur folio caulinis ſimillimo & minore; floribus internis interdum una adhuc bractea accedere ſolet; longitudinem caulis occupant

pant tria vulgo foliorum paria, ad pollicaria intervalla a se invicem distantia, quæ angulum peracutum cum caule intercipiunt, versus horizontem mox plus mox minus flexa; ad caulum extremitates ponuntur tria paria foliorum oppositorum, eorum simum reliquis magnitudine cedit, hæc paria sibi invicem incumbunt, unde oriatur species umbellæ, cui quasi nido flos infidet.

Folia subrotunda, tres in circa lineas longa, quatuor lata, reniformia, gaudent margine five integerim, five levissimis denticulis in lobos vix notabiles distincto; facies eorum superna latius viret, pilis evidentibus hispida, inferna pallidior, hirsutiem copiosiorem & mitiorem habet; sustentantur folia petiolis brevissimis, & respectu insertionis in caulem ad opposita pertinent. *Flores* lutei, exigui, sessiles, utplurimum solitarii, inodori.

S. XI.

Secundam speciem cum illustri DE HALLER *Plant. Helvet.*

189. *CHRYSOSPLENIUM FOLIIS ALTERNIS* dico. Est illa *Saxifraga aurea* Dod. LUGDUN. cum icone mediocri. Rauwolf Reiss in die Morgenländer p. 3. J. B. Hifor. *Plant.* III. 707.

Saxifraga Alpina Lugdun. 1114. figura mala, descriptio melior.

Hepatica palustris Hort. Eystett. *Class. vern.* fol. 3. Icon minus bona.

Saxifraga aurea Hort. Eystett. *Class. autumn.* fol. 48. figura melior quam antecedens, nec ipsa tamen bonis annumerari potest. JUNGII *Doxoscop.* pag. 109. cum descriptione egregia.

Saxifraga rotundifolia aurea C. B. Pin. 309. *Cat. Plant.* circa Basil. pag. 88.

Saxifraga aurea foliis pediculis oblongis insidentibus RAJI Hifor. I. 207. *Stirp. Angl.* 158.

Sedum

(II)

Sedum palustre luteum majus, foliis pediculis oblongis insidentibus Hift. Plant. Oxon. III. p. 477. Sect. XII. Tab. VIII. fol. 8.

Chrysosplenium foliis oblongis pediculis insidentibus I. R. H. 146. MAPPI Hift. Plant. Alsatic. 74. von Linderen Hort. Alsat. 7. SEGUIER Plant. Veronens. I. 242. cum bona descriptione. Gemeinhardt Plant. Laubens. tynonyma, quæ addit author, nostram intelligi docent. RUPPI flor. Jenens. 72. Perillustris enim RUPPI editor, cui ager Jenensis in primis notus fuit, testatur (cc) se nunquam speciem §. X. vidisse. DE BERGEN flor. Frankfurt. cum Hallerianam hoc trahat denominationem. LINN. flor. Lappon. 151. ipso id afferente authore Spec. Plant. 398. Buxbaum Plant. Hallens. 72.

Chrysosplenium foliis minoribus subrotundis T. omnium aucthorum. *Chrysosplenium* Hort. Cliff. VAN ROYEN prodr. 209. BOEHMER. Flor. Lips. 144. *Chrysosplenium alternifolium* LINN. Spec. Plant. 398. Flor. Suec. 355. GRONOVII ad RAUWOLFF Flor. Orient. n. 127. KRAMER Elench. vegetabil. per aust. infer. 117.

Crescit in Anglia, Italia, Suecia, Lapponia, Helvetia, Holsatia, Marchionatu Brandenburgensi, Lusatia, Austria, Carinthia, Thuringia, Misnia, Alvernia, apud nos à MAPPO & Linderen ad scaturiginem à diva Odilia dictam, cœnobium Peris. & in montibus Haslacensibus copiose crescere dicitur; id quod quoque omnes, qui hæc loca herbarum ergo accesserunt, sunt experti omnino. Floret Aprili & humidum solum sequitur.

Ex Radicibus illis §. XI. simillimis surgunt aliquot folia Radicalia, exit & scapus floriger, hic nequamquam differt à caulis speciei antecedentis, & gerit folia in eo à foliis primæ speciei diversa, quod sint

B 2 minora,

(cc) Enum. Plant. Helvet. 189.

minora, longioribus petiolis instructa, & alterno ordine collocata.

Folia radicalia sunt reniformia, margo distinguitur dentibus obtusis, qui singuli emarginati sunt, diameter ipsorum longitudinalis est subdupla transversalis, superficies superior est viridissima & pilis albis obsidetur, inferior albida copiosis quoque pilis hirsuta est, singula singulis petiolis incident, succulentis, erectis, quadrangularibus, pilosis, purpura tinctis, quorum maxi-
mi tres pollices æquant; *flores* eundem ac in specie prima & colore & situm habent.

S. XII.

Præter duas, quas hactenus recensui, species, tertiae cuiusdam adhuc apud auctores fit mentio. MORISONUS (dd) *Sedum palustre lateum lichenis facie* a duobus reliquis foliis longioribus, & densioribus differre, & idem cum *Saxifraga aurea Lichenis facie* *Praelud. Botanic.* 303. esse tradit, sed ex eo quod RAJUS & DILLENIUS diligenter sane soli Anglici scrutatores præter duas, quas descripsi species, nullius in Britannia crescentis mentionem faciant, & alternifolium folia longiora, quam oppositofolium habeat, (§. X.) hinc tertiam speciem MORISONUS sive fixxit, sive pessime a secunda distinguit. Nec id prolixa eget demonstratione, quod icon quam *Hist. Plant. universal. Lugdun.* sub nomine *Saxifragæ alpinæ* exhibet, propriam speciem non fistat, id potius harum rerum gnari facile perspicient, quod haec icon nil aliud sit, quam disiformata figura *Saxifragæ aurea*, cuius protypum in phantasia quidem authoris, nunquam autem in serie corporum naturalium extitit. TOUNEFOR-
TIUS (ee) *Saxifragam rotundifoliām, auream, minorem, montis aurei*

(dd) *Hist. Plant. Oxonensi. III. 477.* (ee) *Inst. rei Herbar.*

arei H. R. PAR. tanquam propriam speciem sub nomine *Chrysosplenii foliis minoribus* à reliquis distinguit; sed constat fide celeberrimi PEIIT. (ff) candidissimum virum errorem fassum esse & afferuisse, illud de quo nunc sermo est *Chrysosplenium* idem esse cum illo, quod à foliis amplioribus auriculis instructis denominaverat. Magna fuit & jure fuit TOURNEFORTI authoritas; hinc ejus error in errorem quoque duxit magnos viros, qui alia negotiis obruti, in eas quas descriperunt plantas curatiis inquirere haud potuerunt: taceo Botanicos umbraticos, qui securo museorum otio sepulti non naturam, sed libros perscrutantur, si de plantis ipsis agendum est. Cum neque BOERHAAVE (gg) neque CLARISSIMUS LE MONNIER (bb) *Chrysosplenii floribus longis pediculis infidentis* T. mentionem faciant; hinc Clar. Viri illud sub *Chrysosplenio foliis minoribus* subrotundis T. intelligere videntur.

§. XIII.

Non audeo decidere ad quam speciem pertineat *Saxifraga aurea* à Clusio in Pannonia observata, nec non ea quam *Saxifragam rotundifoliam auream* C. B. SABATI (ii) in agro Romano observavit, id saltem ex his authoribus colligo *Chrysosplenium* quoque crescere tam in Pannonia quam in agro Romano; & id adhuc obser-
vandum duco, quod utraque *Chrysosplenii* species radi-
ce perenni gaudeat, & quod neutra in Catalogis vege-
tabilium in Belgio, Gallo Provincia, Lusitania, agro Par-
fensi, Stampis aut regionibus extra Europam sitis crescen-
tium reperiatur.

§. XIV.

(ff) Lettres d'un Medecin des Hopiteaux du Roy. 41. (gg) I. C.
(bb) Meridienne de Paris CL. (ii) Synopsj. Plant, Roman, 40.

absolutis; nunc quoque usus ad quos exhiberi potest & adhiberi solet sunt dicendi; eos traditurus recensabo primum ea, quæ sive sensus sive experimenta circa idem detexerunt, deinde exhibebo observatorum fide quales illud usus edidisse hactenus erat observatum. Experimenta institui cum illa specie quam primam descripsi; cum autem secunda ab hac unice figura externa differat, illi reliquo habitu, & ipso quo alitur solo ceterum si-millima, hinc nullus dubito, ea quæ de una dicentur specie, ad alteram quoque valere, utrasque hinc sibi in-vicem substitui posse.

§. XV.

Folia habent saporem leviter acrem & leniter adstringentem, nil amaricantis in illis potui detegere, caules linguam mitius afficiunt, sapor in planta exsiccata evidentior est, idem quoque in affusam plantæ fervidam transit, ipsique, si debitus est observatus in odore, gratum conciliat saporem: illud autem circa saporem Chrysosplenii notandum, quod ipsi sub exsiccatione aliquid, quod mucorem saporis accedit, id quod tamen progre-diente tempore vix non omne disspellitur, ita ut tunc optime pro infuso polychresto possit adhiberi, & potus genus largiatur, illi quod *capillus veneris* cum aqua fer-vida infusus exhibere solet simillimum; hinc à non pau-cis Argentorati incolis loco herbæ Theæ ad forbitiones recipitur, odor autem præter herbaceum illi nullus est.

§. XVI.

Longissima omnino est partium fluidarum ad solidas in mea planta ratio, ejus recentis unciaæ sedecim ex-siccatione ad unciarum duarum & semissis pondus redu-cuntur, nec tamen exsiccatio eo usque fuit producta, ut planta

planta in pulverem potuerit reduci. Ex centum & vi-
ginti uncisi plantæ recentis obtinui uncias septuaginta &
duas *fucci* viridis, cui fuit sapor falius dulci junctus:
id quod ab expressione remansit exsiccatum ponderavit
uncias decem & sex, quod in cineres versum & ad chemi-
corum præcepta cum aqua coctum salis alcali fixi scrupu-
los quatuor edidit, id quod ab elixando remansit iner-
tem & simplicem fuit terram: evidens ergo fit ex hoc
experimento *Chrysosplenium copiosam* & terram & aquam
continere, vobis quoque & acidum & principium inflammabile:
evicerunt enim chemici, quod sal alcali fixus oriatur ex
acido per inflammabile destructio.

§. XVII.

Succi expressi uncias duodecim canto destillavi ca-
lore, per gradus aucto, & obtinui aquæ insipidæ, cui is
qui omnibus aquis ex succis destillatis esse solet fuit
odor, multo maximam quantitatem; hanc exceptit una
uncia incircum liquoris levissime sapidi, empyreuma spiran-
tis, cum cæruleis vegetabilium fuccis viridescentis, ab affu-
so alcali fixo fortius olentis, qui acido nitri admotus album
fumum eructavit; hunc liquorem secutus est humor, qui
fortissime empyreuma oluit, nec syrupum violarum muta-
vit, nec cum acido nitri fumum constituit, ipsi innata-
runt aliquot guttae olei spississimi brunni; à destillatione
residuus carbo evidentissime salino sapore linguam affe-
cit & inde elixationis ope salis alcali fixi drachmam
unam cum dimidia obtinui. Ea quæ ex §. XVI. deduxi
Chrysosplenii principia ex hoc quoque experimento
fiunt evidentia, *spiritus ammoniacalis* evidentissimeaci-
di præsentiam loquitur, & *oleum* quod per destilla-
tionem obtinui evincit, sub qua forma *principium in-*
flammabile in vegetabili hæserit, nec tyrones chymiae la-
tebit,

tebit, quod consistentia, color & odor, sub quibus oleum prodiit, unice igni debeantur. Ultimus qui sub destillatione prodiit humor, licet copiosiori quoque, quam is, qui ipsum antecessit, salse ammoniacali gaudeat, id quod hujus ortus ratio evincit, nulla tamen istius edit indicia, quia copiosius oleum vehit; pluribus enim constat experimentis, quod salia, si oleis permiscentur, ita possint larvari, ut exiguæ sive nullæ evadant illæ quæ ipsis priæ sunt vires.

§. XVIII.

Chrysosplenii drachmis quatuor illam affudi alcoholis quantitatem, quæ requirebatur, ut omne in alcohole solvendum inde extraheretur; obtinui *Tincturam viridissimam*, quæ præter illum qui spiritui vini proprius est, nullum neque saporem, neque odorem habuit; evaporato alcohole remanerunt grana quadraginta & octo *resinae* perviridis, vix sapidae, & quæ aquam ex aere attraxit, illud quod ab extractione cum alcohole reliquum erat vegetabile infudi cum aqua ea lege, ut novam aquam subministrando & coquendo continuauerim, usque dum ultima aqua inde nec tincta, nec sapida redita fuerit, omnem quæ aliquid extraxerat aquam lento igne evaporavi & obtinui *extracti aquosi*, quod *secundarium* dicunt, grana quadraginta & duo.

Aliam Chrysosplenii exsiccati semiunciam cum aqua illo, quem nunc dixi, modo tractavi, illa inde brunno colore & sapore herbæ proprio afficiebatur, & coctione obdurata dedit *extracti aquosi* grana centum & quinque. Residuum ab hoc labore alcohole tractatum *extractum resino/n secundum*, minus quam *primum* aquæ cupidum, sttit.

§. XIX.

§. XIX.

Succi ex Chrysosplenio expressi uncias sedecim ad gelatinæ densioris spissitatem decoxi, & cum alcohole digesti, ita inde *salis essentialis* grana decem obtinui, adhæsit huic fali aliquid resinæ, idem inde tingebatur, & ad facile in ære deliquium disponebatur; resinofum fali adhærens nec iterata istius in aqua solutione, nec aquæ calcis vivæ ope inde auferre potui; grana quadraginta quinque substantiæ, quæ alcohol subire negarunt, remanebant.

Evincit hoc experimentum *acidum* sub dupli forma in meo vegetabili hærere, aliquid ejus nimirum cum oleo arctissime esse unitum & in formam resinæ redactum, reliquum liberum & sincerum per plantæ succum dispersum, & pro sua agere posse natura.

§. XX.

Cum aqua copiosissimum ex Chrysosplenio extrahat extractum, quod solum quoque ejus saporem retinet; hinc evidens est, quod aqua ipsi menstruum appropriatum sit: id quoque ex §§. 18. & 19. elucescit, quod oleum in ipso contentum ope acidi in resinam sit verum: ex eo denique, quod extractum primum aquosum plurimum pondere excedat extractum gummosum secundum, quod exiguum sit extracti secundi resinosi pondus, patet, resinæ aliquid saponacei adhærere; id enim saponem dicimus, quod resinam in aqua solubilem reddit, & evicit experientia saponem quidem ab alcohole solvi, sed parce solvi: & ita tandem evidens fit *Chrysosplenium* *vehere gummi-resinam multa aqua solutam*, non paucis partibus terrestribus immixtam, & cui paucillum *salis essentialis* non mutati adhæret.

C

§. XXI.

§. XXI.

Vires Chryfospplenii lustraturo ea quam exhibui
eius analysis egregie prælucebit. Evidens est, illud ob
copiosam, quam vehit, aquam, solida relaxare, fluida
attenuare, excretiones aquae promovere, id quoque
medicos à longo jam tempore & ratio & experientia do-
cuit, quod gummi-resinæ sint optimi sapones, quo-
rum ope tam id, quod in primis viis hæret, viscidum
dissolvitur, & è corpore eliminatur, quam illud, quod
in extremitatibus arteriarum subsistens & acutos & chro-
nicos morbos producit, attenuatur, atque ut in venas
transire possit præparatur, hinc unanimi practicorum
consensu sapones vegetabiles curæ morborum acutorum
maximam partem absolvunt, atque in chronicis iisdem
quod æquiperare possimus habemus nihil. Hic autem id
adhuc riotandum quod Chryfospplenum ob evolutum,
quod vehit, acidum, ad acrimonias alcalinas quo-
que egregie conducat, & quod ob mitissimum, quo
scatet oleum, securior multo sit ejus usus, quam gum-
mi-resinarum ex Indiis ad nos allatarum, quæ non ra-
ro, dum motum humorum ad partem affectam intendunt,
& obstructiones augent, & ut in pejus ruant efficiunt:
& quis non videt, aquam cum gummi-resina junctam
in Chryfosppleno, hujus vires resolventes, attenuantes,
abstergentes, aperientes &c. egregie juvare omnino:
sed ratione quoque partium terrestrium Chryfospplenum
egregios in corpore humano edit effectus; id enim per
artis constat principia, terrea, in corpus nostrum recepta,
& solida ejus subeuntia, eadem roborare; & roboran-
tes esse meæ plantæ virtutes, ipse ejus sapor (§. 15.)
evincit, eandem igitur roborantibus & tonicis annume-
rare dubito nullus, & ad omnes laudare morbos, qui-
bus talia competit remediorum genera: hoc igitur
quoque titulo ejus vires aperientes multum juvantur.

§ XXII.

§. XXII.

Vires Chrysosplenii, quas ex ejus analysi deduxi
 (§. 21.) probant quoque ejus fapor & ordo naturalis (§. 8.),
 teste LINNÆO (kk): docent illi morbi, ad quos idem cum
 successu adhiberi experientia evicit. HIERONYMUS (l), LUG-
 DUNENS. (mm), DIETERICH (nn) illud ad calculum lau-
 dant, & ut mihi videtur recte laudant; quid enim calculosis
 melius conductet, quam medicamentum abstergens &
 roborans, materiae calculosæ ortum præveniens, ortæ in
 cava depositionem impediens, depositæ moram & aug-
 mentum cavens? sed illud quoque ad obstrunctiones he-
 patis & inde oriundam malorum catervam egregie fa-
 cere, tam fide TABERNÆMONTANI (oo), LOBELII (pp), &
 qui hunc exscriptis SCHWENKELDI (qq), Excell. BOECLE-
 RI (rr), DIETERICH (ss), AUTHORIS Continuat. Materia Medica
 Geoffroi (tt), quam ex ejus principiis est certissimum,
 surgunt enim in circulatione sanguinis per venam por-
 tæ anomaliae, quando humores sunt præter naturam
 spissi, sive quando viscerum & vasorum abdominalium
 tonus est dejectus; sed utrique medetur Chrysosple-
 nium (§. 21.). Nostrates Medici illud in morbis pectoris
 cum summo successu solent adhibere, & ipsius vires,
 quibus pulmones roborat, mucum attenuat, ulcera ab-
 stergit & solidat, & ipsas pleuritides dissipat, lâte sunt
 experti. AUTHOR Continuat. Mater. Medic. Geoffroi (vv)
 eidem vulnerarias vires tribuit, ipsi assentitur Erhardt,
 (ww) & addit idem levioribus vulneribus tam internis,
 quam externis conducere, & quis est qui ignoret, me-
 dicamenta abstergentia & leviter adstringentia apprime
 C 2 ad

(kk) *De Sapore Medicamentorum* §. 6. (ll) l. c. (mm) l. c.

(nn) ad WEINMANN Pol. II. 165. (oo) l. c. (pp) l. c.

(qq) l. c. (rr) l. c. (ss) l. c. (tt) Tom. II. 389. (vv) l. c.

(ww) *Oeconom. Pflanzen-Historie* T. II. pag. 8.

ad unitatem solutam integrandam facere: nec difficile est explicatu; cur à DIETERICH (yy) ad obstrunctiones mensium referandas exhibeatur; constat enim itas non raro sive ab humoribus præter modum spissis, sive à vasis uteri debilitatis, sive a vitiatō sanguinis per venam portæ motu surgere. Sed omni huic causæ Chrysosplenium mederi §. 21. evincit. Id tandem adhuc addo, quod cum nulla sit Chrysosplenii acrimonia, hinc quoque ridendos potius, quam refutandos esse illos, qui teste RUPPIO (zz) optimum medicamentum venenis annumerant.


§. XXIII.

Vix aliquid de œconomico apud authores reperio Chrysosplenii usū: SCHWENKFELD (aaa) ex ejus usū vaccas butyrum flavum largiri statuit, & LINNAEI experimēto (bbb) constat ipsum pertinere ad illas herbas, quibus in montibus degentes vaccæ vescuntur, quæ eo ipso quod & torosiores sint, & copiosus & melius lacticantur, quam illæ quæ herbis prætensibus pascuntur, demonstrant, quod vegetabilia montana, inter quæ est Chrysosplenium, optimum ipsis præbeant nutrimentum. Qua dosi & sub quibus formis debeat exhiberi, cum ex generalibus, quæ circa usum herbarum ipsi similium traduntur, evidens sit, ea hic exponere nimis esset prolixum.

(yy) l. c. (zz) l. c. (aaa) l. c. (bbb) pan. suec.

F I N I S.

9.03.20.



00 A 6300



Sb.

03.03.01.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
1
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

14

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
CHRY SOSPLENIO
QUAM
ADSISTENTE DIVINA GRATIA
EX DECRETO
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO LICENTIA
*PRIVILEGIA ET HONORES DOCTORALES
LEGITIME CONSEQUENDI*
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT
JOHANNES DIETERICUS PALLAS

TABERNENSIS-ALSATA
D. XXVIII APRILIS MDCCCLVIII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI
TYPIS JO. HENRICI HEITZII UNIVERSITATIS TYPOGR.

